D E
ECCLESIASTICO
CALENDARIO REFORMAN-
DO R. D. FRANCISCI PAVLINI,
PRIORIS S. SILVESTRI MAN-
TVANI SENTENTIA,

A SACROSANCTA ROMANA ECCLESIA,
OMNIVM ECCLESIARVM
MATRE DISCVTIENDA.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

MANTVAE, Ex Officina Iacobi Ruffinelli.
M D LXXIX.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

HAEC QVAECVNQVE, ET QVANTVLACVNQVE SINT, EXAMINANDA Eccleſiæ Romanæ propono, cuius iudicio ea, meq́; omnibus in rebus ſubmitto.

FRANCISCVS PAVLINVS PRIOR S. SILVESTRI MANTVANI.

CVM longo iam tempore vehementer optarem, vt Eccleſia Dei tot perturbationibus exagitata firmitatem acciperet, & vt in omnibus, quæ ad ſalutem credentium pertinent; ita in quæſtionibus, quę de quãtitate Anni, & Aequinoctij Verni die vſquaque à Mathematicis diſquirebantur; Audiui præteritis diebus à multis, ſummum Pontificem Noſtrum Gregorium XIII. ſignificaſſe Principibus Chriſtianis, vt ſi quos haberent in ditionibus ſuis viros Aſtronomiæ peritos, qui ea, quæ ad reformationem Anni, & Calendarij percallerent; darent operam, vt ſinguli ſcriptas opiniones proprias ad eum tranſmitterent; vt matura ſuper ijs conſideratione habita, Spiritu ſancto duce, ea in melius reformarentur. Quæ eum audiuiſſem, mecum ipſe diſputare cæpi, num ſcriberem, quæ alias ſuper hac re excogitaueram, & proferrem. Primum mihimet ipſe diſſuadebam, qui vires meas, & ingenium rude norim, cum præſertim tot, tantiq; viri acutiſſimi, atque ingenioſiſſimi, calculorum peritiſſimi, libros magnos (quos pleroſque legeram) ſuper hac re, & ante hæc tempora, atque his temporibus edidiſſent. Ego ne (inquam) homuncio opinionem meã calculis Aſtronomicis minimè ſuffultam proferre auſim? verum ſtimulis, neſcio quibus, hinc inde grauiter exagitatus, poſt multam lu-

Etiam victus ceſſi, vt ſcriberem quid ſentirem, vt ſaltem amicis concrederem. Scripſi, concredidi, nonnulli inuentum approbarunt, & vt proferrem ſuaſerunt: quid multa? profero, & ſi quid eſt, quod in rem futurum ſit, eo vtatur Eccleſia Dei, ſin autem animum propenſum acceptum ferat. Legant qui velint; ſuum cuique iudicium relinquo. Non enim is ego ſum, qui velim opinionem meam præualere, ſed vt hæc paucula afferam, tanquam ad arbitrium Fabri, vel Architecti diſponendum laterculum, vel lapilli fragmentum ad Eccleſię reparationem. Quę vt tenui ſtilo, ita à me libenti animo ſubminiſtrantur. Aequo ergo animo vnuſquiſque hęc quantulacunque accipiat. Alij multa doctè, & ornatè, & altè ſcribant: ego autem humi tutus ſimplici, atque etiam breui ſermone expediam.

Duo ſunt, quæ nec ad fidem pertinent, nec mores componunt; quę ſi auferantur, mea quidem ſententia accõmodatum erit Calendarium, & ſublatę erunt quęſtiones inter Eccleſiaſticos, & Mathematicos de quantitate Anni, & de Aequinoctij Verni die, & Eccleſia tranquilla pace lętabitur: variatio ſcilicet dierum, vel feriarum, & Feſtorum Mobilitas, quę Eccleſia Dei, vt multa alia, pro tempore, hactenus tolerauit, vt conijcio, potius, quàm probauit. Quę Feſtorum Mobilitas, ideſt Paſcha cum reliquis mobilibus feſtis, ab Aegypto uſque cum Hebręis Lunationes pro menſibus numerantibus defluxit. Dierum uerò, uel feriarum uarietas, ab Aſtronomis proceſſit, & à primis Calendarij ordinatoribus, qui cum per ſeptenos dies annum integrum, ideſt reuolutionem Solarem in Zodiaco, diſpertirent, unus ſupererat dies; quod ex ſeptenis literis in Calendario appoſitis patet. Nam eadem litera A, appoſita eſt primę diei Ianuarij, & ultimę Decembris. Cumque ſuperſtitionibus irretiti eſſent homines, quemlibet diem uni ex ſeptem planetis dicabant, ut diem Dominicum Soli, ſequentem, Lunę, & ita reliquos reliquis diſtribuebant. Vnde beatus Silueſter ſummus Pontifex, ut auferret has gentilium Deorum nuncupationes, religioni Chriſtianę plurimum officientes, conſtituit, vt abolitis planetarum nominibus, dies appellarentur in Eccleſia ferię prima, ſecunda, tertia, &c. vſque ad ſeptimam: prout Hebręi appellant omnes hebdomadę dies Sabbata. Verum cum hęc uariatio dierum, vel Mobilitas Feſtorum ad ſalutem credentium nihil proficiant, nec mores compõnant, immo plurimum officiant, cum quęſtiones ſuperuacaneas inducant; ita vt quamplurima volumina circumferantur,

cumferantur,

Digitized by Google

cumferantur, quę à diſsidĕtibus inter ſe Mathematicis deſcripta ſunt pro reformatione Calendarij,& quãtitate Anni,& die Aequinoctij Verni, profuerit plurimum, cum adhuc de his rebus ſub iudice lis ſit, finem his varietatibus, & Feſtorum Mobilitati imponere, & Feſta Mobilia certo Calendarij loco ſtatuere, vt Reſurrectio, ſicuti Incarnatio, Natiuitas, Circunſio, Epiphania, Obuiatio, & Transfiguratio Domini noſtri ab Eccleſia, Spiritu ſancto duce certis dierum menſibus poſita ſunt. Non enim pertinet ad ſalutem noſtram Reſurrectionis Dominicæ Feſtum, reliquaque Feſta Mobilia cum obſeruatione Lunę celebrari: quin etiam Eccleſia, ne Iudaizare videatur, tranſtulit Reſurrectionis Feſtum ad diem Dominicum poſt quartadecimam Lunam: ſed hoc maximè neceſſarium eſt, vt credamus CHRISTVM *natum ex* MARIA VIRGINE, *Paſſum ſub Pontio Pilato, Crucifixum, Mortuum, Sepultum, ad inferos deſcendiſſe, tertia die Reſurrexiſſe, ad cœlos aſcendiſſe, ad dexteram* DEI *ſedere, ad iudicandum inde viuos,& mortuos venturum; & vnicuiq; ſecundùm opera ſua redditurum. Quę à Io.Euangeliſta breuius dicta ſunt,* Ioan.20.
Vt credamus (inquit) quia IESVS *eſt Filius* DEI, *& vt credentes vitam habeamus in nomine eius. Quæ cum crediderimus, nihil refert Feſtane ſint Mobilia, an Stataria; ſciamuſue quota Luna, vel quoto die Lunæ; antène, an poſt Vernum Aequinoctium, paſſus fuerit Dominus, reſurrexitue. Satis ergo Lunatum, atque Solatum ſit (his uocibus nouis ad hanc rem mihi uti liceat) Mobilia Feſta firmentur, & certis diebus menſium prout geſta fuerunt apponantur, unde Feſta celebrantes eorum memoriam recolimus. Obſeruationes inquam Lunaticæ Hebræorum ab Eccleſia Dei antiquentur, ſicut cætera Sacrificiorum genera,& Cerimoniæ, quæ omnia nouo ſuperueniente Teſtamento Spiritu ſancto duce abrogata ſunt. Nox enim iſta tenebrarum in Aegypto filijs Iſrael obſeruari iuſſa eſt in gene-* Exo.12.
rationibus ſuis, non in generationibus Chriſtianorum, quos Apoſtolus, ſi Lunationes Hebræorum, & reuolutiones Solares Mathematicorum obſeruamus coarguit dicens. Obſeruatis dies, menſes, & Gal.4.
tempora, & annos, timeo ne fortè ſine cauſa prædicauerim uobis. Vt autem aliquid ſæculo concedatur, ne contingat error in ſupputationibus temporum, aut mercatorum foris, aut rationibus, ſæculis ſuperuenientibus, aut Cronologorum diſquiſitionibus; permittatur Aſtronomis, Medicis, atque etiam Agricolis curſus ſiderum obſer-

A 3 tio,

tio, quartoque quoque anno, Annus Biſſextilis, & trecẽteſimo quoque anno (vel alio, prout conſentientes erunt inter ſe Mathematici ſi modo conuenient) vnius diei intercalatio, iuxta reformationem Calendarij in Breuiario Romano nouo reformati. Prætermiſsis igitur altercationibus, & calculis Aſtronomorum inter ſe diſsidentium, remanentibus literis in Calendario eodem ordine, quo ſunt per totum annum diſtributę (remota tantum vltima A, quę appoſita eſt ad Feſtum S. Silueſtri Patroni Eccleſię, cui, licet immeritus, dicatus ſum) approbo literam Dominicalem B, fore perpetuo: ſed cur B, & non aliam? quia hęc litera B, cadit in diem 25. menſis Decembris, quo Chriſtus Dominus noſter natus eſt, atq; die Dominico; & in diem 27. Martij, quo item die, Dominus idem, ſecundùm communem Eccleſię opinionem reſurrexit, qui 25. eiuſdem menſis die Tertulliano authore, aliiſque plurimis paſſus eſt. Neque hoc factum ſine nutu diuino cenſendum eſt, vt hęc litera B, his duobus in locis poneretur; cum hęc litera B, ſit ſecundùm Alphabeti elementum, quę recedit ab A, primo, quaſi à Iudaiſmo, ideſt à Sabbatiſmo, nam litera Dominicali B, currente, A, eſt Sabbatum, & primum elementum A, ſignificat primum Teſtamentum, B, vero nouum: atque etiam B, eſt nota Beatitudinis cum ſit primum eius nominis elementum. Beatitudo enim nobis credentibus à Natiuitate, & Reſurrectione Chriſti aperitur. F, uerò ſexto in Alphabeto loco apud Latinos poſito finem ſignificat, & ponitur 24. die Martij, quo die in Veſperis celebrans Paſcha, finem antiquę legi, exeſo Agno antiquo Chriſtus impoſuit. Et quoniam ſexto die Deus in initio ſęculi opus ſuum compleuit, feria item ſexta Chriſtus Dei Filius Redemptor noſter patiens, Teſtamentum nouum confirmauit, & opus redemptionis noſtrę expleuit; propterea moriens, Conſummatum eſt, clamauit. Et qui Sanguine

Coloſſ.2. *ſuo chirographum decreti, quod erat contrarium nobis deleuit, pacificans omnia, & reconcilians nos patri, theſauros gratię ſuę nobis aperuit, atque ideo 25. die Martij, G, litera, nota gratię, appoſita eſt, quę ibi indeſinenter inſonat Gratiam, & Gloriam dedit Dominus, ut eam acceptam feramus ab ipſo, qui conuiuificauit nos. Cumque opere conſummato ceſſet operantis actio, ideo Feſtorum uarietas, ac Lunationes, quę Paſsionis Chriſti actionem, ideſt operationum conſummationem ſignificabant, ęquum erat eas cum Paſsione ſua terminari. Quin etiam Dominus noſter, ut finem antiquę legi, atq; Lu-*

nationibus

Digitized by Google

nationibus imponeret, anticipauit eſum agni, ne Paſcha cum Iudęis manducaret, proptcrea ad quendam miſit diſcipulos ſuos dicēs; Tempus meum prope eſt apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Quaſi diceret. Non amplius uobiſcum, ò Iudęi, ſed cum diſcipulis meis Chriſtianis facio Paſcha. Sicut etiā alibi dixit fratribus ſuis carnalibus, Vos aſcendite ad diem Feſtum iſtum, ego, autem non aſcendā, hoc forte innuens de abrogatione Lunationum. Atq; etiam hoc idem ſignis,& portentis ſciſsione ueli,ac petrarum; apertione monumentorum, reſurrectione mortuorum, demonſtrauit: qui quaſi antiqua abrogans, curſum, & ordinem in Paſsione ſua Lunę commutauit, quę cum quartadecima in oppoſitione Solis eſſet, Dionſio Areopagita teſte, ad Solis coitionem per Orientem contra naturam ſui curſus & Ecclipſium regreſſa eſt. Quę cum ita ſint, inſcribatur, in nomine Domini, Feſtum Reſurrectionis 27 die menſis Martij, & reliqua ab eo feſta dependentia diſponantur ſuo quęque loco iuxta Calendarium confectum, quando Paſcha celebratur, eo die uidelicet 27. Martij. Annus incipiat à die Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſicut iam diu Eccleſia Romana mater omnium Eccleſiarum obſeruat. Sabbati nomen quod ſub A, litera cadit,& erit ultimus dies hebdomadę, & Anni, quaſi in illo ultimo die quieſcat Annus, ſicut Deus ſeptima die requieuit, mutetur in nomen feſti Beatę Marię, ut illud A, ſignificet, Aue, Eua nomine inuerſo; nam & in feſto Circunciſionis Domini (quod cadet in Sabbatum) dicitur Oratio Beata Marię: & ſingulis Sabbatis extra Quadrageſimam, Quatuor Tempora, Vigilias, Aduentum, uel feſta nouem lectionum in Sabbatum cadentia, fit Officium Beatę Marię ex inſtituto Eccleſię iuxta Breuiarium reformatum. Feſtum uerò Sancti Siluestri, cui nullam inſcribimus literam, nomen tantum feſti retineat; ut qui feriarum nomina pro nominibus planetarum introduxit in Eccleſiam, ipſius feſti dies, feria uel feſtum Sancti Siluestri inſcribatur. Non ergo amplius feſta noſtri Chriſtianorum ab inſtabilitate Lunę, aut ab Hebraiſmo dependeant, nam in Iericho (quę ciuitas Luna interpretatur) erant cęci, & Zachęus Princeps Publicanorum: qui à Domino liberati eam relinquentes ſequuti ſunt liberatorem, & Saluatorem ſuum Dominū. Nos ergo niſi cęci, eſſe uelimus, recedamus ab inſtabilitate Lunę, & ſequentes Dominum habitemus in monte hęreditatis Domini firmiſſimo habitaculo ſuo, quod operatus eſt naſcens, prędicans, patiens,

Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Ioan. 7.

Matt. 20. Marc. 10. Luc. 18. & 19.

pro

pro nobis moriens, & propter iuſtificationem noſtram reſurgens: & firmitudine feſtorum firmemus nos ipſos ad faciendam memoriam ſalutis noſtrę in Eccleſia ſancta non fluctuantes, aut Lunę curſum ad hanc rem obſeruantes. Et hoc poterit commodè incipi anno ſequenti 1580. quo litera Dominicalis poſt feſtum S. Matthię, eſt B, & ita deinceps, uel incipiatur anno 1581. ut id poſsit innoteſcere interea omnibus Principibus Chriſtianis. Quod ſi fiat ut diximus, ſublatæ erunt quæſtiones inter nos, & Mathematicos, qui dum inter ſe de quantitate Anni, & de Aequinoctij Verni die digladiant, imperitos dilaniant, atque ſuis obſeruationibus varijs obruunt, atque equidem iniquum eſt, vt Eccleſia Dei, quæ à Spiritu ſancto regitur, ab opinionibus varijs Mathematicorũ dependeat. *Quid autem? quanto negocio, labore, & impenſa leuabuntur Clerici, pro annuis Calendarijs uel conficiendis uel emendis? & quotuſquiſque Clericus computi Eccleſiaſtici peritus? cuius peritiam à ſupputationibus Aſtronomorum petentes, hęſitant inter tot opiniones, quę circumferuntur, quę ſit recta ad hanc rem uia. Cumque ſint huius computi imperiti, uix ſunt digni nomine Sacerdotis, iuxta. Cap. Quę ipſis Sacerdotibus. diſt. 38. Quid plura? non parum commodi ſequetur ad perſoluendum penſum Eccleſiaſticum. Nam officium diuinum ſummo cum ordine recitabitur in Eccleſia Dei, tot commemorationum, tranſlationum, & immenſi laboris Rubricarum difficultatibus remotis. Siquidem cum Feſta Mobilia ſuo quęque loco in Calendario ſignantur, ſublata uariatione feriarum, nihil erit quod unquam ulla uariatione mutetur. Et quamuis quędam Feſta Sanctorum, aut celebrationes diuerſis in locis fiant, fient tamen in eodem loco, uel diœceſi perpetuis temporibus eodem die, uel feria Anni ſiue tranſeant per commemorationem, ſiue tranſlata pro eorum titulis celebrentur. Quę ſi à proprio die transferantur, propter aliquod feſtum impedimentum faciens, ne proprio die, iuxta Calendarium Romanum, celebrentur in aliqua diœceſi, hoc erit ibi perpetuum, ut nullo unquam tempore à tranſlato loco dimoueantur. Hinc poterit Breuiarium iam reformatum imprimi, cui prępon atur Calendarium confectum pro anno, quo (ut diximus) Paſcha celebratur 27. die Martij, remota tantum litera A, à feſto S. Silueſtri, & eſt in Calendarijs perpetuis ordo ſextus, ita ut officium in Breuiario diſpoſitum ſit ſingulis diebus per hebdomadas, ut ſignatur in Calendario, ſiue feria, ſiue*

ria, ſiue

ria, ſiue feſtum fuerit, vnum poſt aliud cum commemorationibus, ſi quæ fuerint, vt non niſi recte, poſsit officium à quocunque etiam imperito recitari. Vnde Require importuno ſublato, omnes gratias agamus Deo, qui nouiſsimis temporibus voluerit finem Mobilibus Feſtis imponi, atque ea ſtabiliri, vt nobis pacem, & Eccleſiæ tranquillitatem hac firmitudine ſignificaret. Quod præſtare dignetur, qui viuit, & regnat in ſæcula. Amen.

Cum verò Calendarium in ſexto ordine Calendariorum perpetuorum poſitum approbem, æquum eſt, vt ſi quæ ſunt, quæ ſcrupulum inijciant, aut negocium faceſſant, ea remoueantur, & in melius reformentur. Quæ, quidem infraſcripto modo accommodanda cenſeo.

Comperio quatuor Dominicas à feſtis duplicibus impediri, nec eorum officium celebrari, ſed de eis tantum commemorationem fieri. Et ſunt Dominicæ cadentes in octauam ſancti Stephani, in feſtis Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, Apparitionis ſancti Michaelis, & ſancti Auguſtini. Ego verò qui cuperem (ſi Feſta Mobilia, Stataria, fierent) omnium Dominicarum officia celebrari, nullaque prætermitti (nam antehac ſtantibus Mobilibus Feſtis, ſi Dominicarum quarundam impediebantur officia aliquo anno, ne celebrarentur, propter aliquod feſtum duplex in eas incidens, celebrabantur alijs annis) propterea, transferrem hæc feſta in ſecundas ſequentes ferias, octaua ſancti Stephani, excepta, de qua fieri poteſt commemoratio in Dominica; cuius officium ſit velim eius Dominicæ quæ cadit infra octauam Natiuitatis Domini, & congruit hoc loco Euangelium; feſtum verò ſancti Auguſtini, trãsferrem in trigeſimum diem Auguſti, cum commemorationibus feriarum, octauarum, & ſanctorum in has ferias cadentium. De Dominicis verò tertia poſt Epiphaniam, cuius officium feria quarta ante Septuageſimam, poſitum eſt in Tabula ſexta; & ea quæ cadit in feſtum Sanctiſsimæ Trinitatis, cenſeo vel tertiæ officium Dominicæ prædictæ, ibi, vbi poſitum eſt relinqui, vel officium Dominicæ ſextæ, poſt Epiphaniam additum nuper à reformatoribus Breuiarij, abijciendum: & officia Dominicarum tertiæ, quartæ, & quintæ poſt Epiphaniam, transponenda poſt Dominicam vigeſimamtertiam poſt Pentecoſten, atque ita ſemper erunt duæ tantum Dominicæ inter Epiphaniam, & Septuageſimam, & viginti-ſeptem inter Pentecoſten, & Aduentum. Habebuntque quatuor Dominicæ Aduentus ſemper ſuas hebdomadas integras, ſublatis

difficul-

Digitized by Google

difficultatibus Rubricarum omnium menſium, Iulij, Auguſti, Septembris, Octobris, & Nouembris. Si habuerint quatuor, aut quinque Dominicas, aut ſi feſtum Natiuitatis Domini, aut S. Thomæ venerit &c. & multa alia, quæ peritiſsimum quemque in recitando diuino officio ſæpe fugiebant. Officium verò Dominicæ cadentis in feſtum Sanctiſsimæ Trinitatis, transferatur in feriam ſecundam ſequentem, cum eadem feria ponatur Initium primi libri Regum. Reliqua feſta totius anni permaneant vt in ſexto ordine. Feſtum tamen Annunciationis, quod 25. Martij celebrari ſolitum eſt, ſed in ſexto ordine iuxta Rubricam transfertur ad diem quartum Aprilis, (poſt videlicet Dominicam in Albis, feria ſexta in Paraſceue in prædictum 25. diem Martij cadente) transferendum cenſeo, vel in ſecundam feriam poſt Dominicam primam Aduentus, ideſt 28. diem Nouembris, vel in primum Decembris, cum officium eius, congruat tempori Aduentus, cuius officia exprimunt deſiderium Patrum, Aduentum Meſsiæ expectantium. Sunt præterea quidam ſancti Simplices lectionem vnam, vel duas habentes, qui ſæpe ferijs variantibus tranſeunt per commemorationem; at ſi ordo ſextus ſit Calendarium perpetuum, nunquam eorum lectiones legentur: cum ſemper de eis facienda ſit commemoratio, propterea poſſunt hi ſancti alio tranſponi, vel aliquo modo cum lectionibus ſanctorum, de quibus ſit officium eorum lectiones adijci, ſicut ſit de ſanctis, multis in locis, quando de duobus, aut pluribus ſit officium.

Reſtant diſcutienda cum ſcrupuloſis hæc obiecta, videlicet.

Si dies ſancti Silueſtri inſcribatur ſine litera A, & B; ſit ſemper litera Dominicalis, occurrent binæ ſextæ feriæ, vna immediatè poſt aliam. Nam cũ litera Dominicalis eſt B, 30. dies Decembris eſt ſexta feria; & prima dies Ianuarij eſt Sabbatum; ergo feſtum ſancti Silueſtri eſt item ſexta feria: & ſeptem dies inter duos dies Dominicos computabuntur, atque illa hebdomada erit cæteris vno die longior, & tribus diebus continuis carnibus non veſcemur, his præſertim diebus infra octauam Natiuitatis, cum nullas his diebus Eccleſia appoſuerit vigilias, ſicut nec inter duo Paſcha. Quin ſi dies Nati-
Ex de obſeruat. ieiun. c. vlt. *uitatis Domini in feriam ſextam cadit, Eccleſia permittit eſum carnium, eo die feſto. Item in Anno Biſſextili, erunt binæ quintæ feriæ ſexto Calen. Martij, & tercenteſimo quoque anno trinæ, ſi eo die interponatur dies, vbi ſit Biſſextus. In Anno æque Biſſextili Qua-*

drageſima

Digitized by Google

draɡeſima erit vno die, & tercenteſimo quoq; duobus diebus longior. Ad hæc. ℞. Nihil refert, ſi vel quatuor ſextæ feriæ vna poſt aliam ſequantur, & vna hebdomada alijs longior videatur, quia hoc loco auferuntur difficultates, non ponuntur. Et ſicut Anno Biſſextili duo dies pro vno computantur, & vnus dies, non auget numerum, vel quantitatem Anni, ſed æquat, ita hoc loco binæ ſextæ feriæ, quæ tot difficultatibus leuant Eccleſiam Dei, non debent impedire Eccleſiæ tranquillitatem. Quod ſi iam mille ſexcentis annis quarto quoque anno duo dies pro vno ponuntur, propterea duobus diebus dicimus ſexto Calen. Martij, & reformatores Breuiarij Romani noui, addiderunt ſingulis tercentis annis diem intercalandum, vt tunc ter dicatur ſexto Cal. ita vt quantitas Anni non dicatur aucta, vel minuta, nonne poterimus ideo ferre tres dies continuos abſque eſu carnium, ad euitandas tot quæſtiones, & altercationes, vt tandem Eccleſia tranquilla pace lætetur? Poſſet quidem Eccleſia, vel ſummus Pontifex in gratiam tantę quietis diſpenſare, vt eo die fideles carnibus veſcerentur, ſi tamen adeo carnium eſſent appetentes, vt eius inediam ferre non poſſent. Verum ſi litera G, currente, tot ſęculis, iam quatuor dies continuos à carnibus abſtinemus bis in anno, cum menſibus Septembri, & Decembri Vigiliæ Apoſtolorum Matthęi, & Thomę feria quinta celebrantur infra Quatuor Tempora, cadentibus eorum feſtis in feriam ſextam (quibus feſtis non ſolùm non manducamus carnem, immo & ieiunamus; ſed nec vllis quibuſcunque feſtis (Natiuitate Domini excepta) cadentibus in feriam ſextam, aut Sabbatum carnibus veſcimur; nonne poterimus trinos dies ſine carnibus ęquo animo ferre, annuente diuina Gratia ſine qua nihil vnquam boni ſtabiliri poteſt?

Ne verò Quadrageſima ſit vno, vel duobus diebus longior, Biſſextilibus, & tercenteſimis annis, ſi fiat vbi ſolet intercalatio dierum; poterunt hi dies interponi ſexto ~~Nonas~~ Februarij, vt duplicetur, vel triplicetur tertia feria, hoc enim die ſol eſt in eiſdem ferè partibus Aquarij, vbi erat, quando Iulius Cęſar Biſſextum inſtituit. Vt ſextus numerus, qui omnibus ſuis conſtat partibus, non minuatur; & qui & antiquo, & nouo Teſtamento finem impoſuit, in fine ſeculorum auctus ſexta feria integer, atque perfectus, & illeſus permaneat, & anno antiquo quaſi veteri Teſtamento finem ponat; nam vt ſupra dictum eſt, ſexta die compleuit Deus in initio ſæculi idus

opus

Digitized by Google

opus ſuum, ſexta feria Chriſtus voluntatem Patris compleuit, bina item ferię ſextę Anno, & fluctuationi, & Mobilitati Feſtorum finem imponunt, vt uetus, & nouum Teſtamentum completum ſignificetur, & Annis Biſſextilibus, & tercenteſimis duobus, uel tribus tertijs ferijs, & totidem ſextis ~~Nonis~~, conſummetur; impleanturq; ſex hidrię Euangelicę capientes ſingulę binas, uel ternas metretas. Vt in Trinitate perfecta Vnus, & Trinus Deus ab omnibus adoretur. Amen.

Plura quidem ad hanc rem adduci poſſent, ſed ſapientibus paucula hęc innuiſſe ſufficiat. Ego enimuerò Calendarium hoc amodo ordinatum Eccleſię, & mercatoribus, atque etiam Cronographis commodius eſſe cenſeo, quàm ſi quatuordecim dies, plures, paucioreſue ſecundùm Mathematicorum opiniones intercalentur, quod procedente tempore ad computationem annorum non parum negocij faceret Aſtronomis. Legatur Doctiſſ. I. V. D. Clariſsimus, & Magnificus Dominus Georgius Carettus Senator Sereniſſ. Ducis noſtri Mantuę, in ſuo Libro ſuper his edito, qui ut nouiſsimus, ita mea quidem ſententia, quò ad quantitatem Anni, non longe à Scopo aberrauit; & indicium unuſquiſque ferat de controuerſijs Cronologorum: hinc conijciat, ſi in rem futurum ſit Eccleſię, Mobilia Feſta in certo Calendarij loco affigi, & Lunationes omitti.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google